



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXCIII. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Imperatorem. Queritur
multa bona ecclesiae Romanae a VVidone quodam marchione erepta.
rogat vt ecclesiam defendat, & ipsemet adiutor veniat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

indictionis Romam ad Synodum occurrere non omittatis : vt tunc & de vobis obiectis rationem reddatis , & si aduersus eumdem episcopum a nobis consecratum aliquam querimoniam habetis , canonico valeamus , quidquid illud fuerit , Deo iuuante libramine diffinire . Hoc etiam scientes , quia si ad eamdem Synodum præfato tempore venire distuleritis , canonicæ in vos censuram sententiæ proferemus .

EPISTOLA CCXCIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM IMPERATOREM.

Queritur multa bona ecclesiæ Romanæ a VVidone quodam marchione erupta . rogat vt ecclesiam defendat , & ipsemet adiutor veniat .

Ad imperatorem Carolum.

CVM & ante susceptum imperium , & post Augustale sceptrum , per humilitatis vestræ ministerium vobis diuinitus attributum , nos quidem multoties pro innumeris necessitatibus , & multiplicibus oppressionibus , qua sancta mater vestra Romana ecclesia quotidie patitur , ingenti mœrore afflitti reclamassemus : nullum usque adhuc optatae consolationis valuimus promereri auxilium vel defensionis solatum : quia de omnibus immobilibus rebus territorii sancti Petri , quas nobis Rauennæ consistentibus , in præsentia serenitatis vestræ , vterque VVido marchio pro reinuestitione reddidit , nec unum recepiimus locum ; sed ipsi & homines eorum contra ius & æquitatem omnia retinere præsumunt : nam nobis in Pentapolii , hoc est in vrbe Fano consistentibus , Adelardus reuerendissimus episcopus , & deliciosus vester , communique fidelis , secundum delegationis iussum aduenit , & ibi præfati VVidonis , & satellitum eius , qui nostra violenter tulerunt , ac retinuerunt , præsentiam prætolatus sumus : quatenus vel inde omnis emendationis , & iustitiae cœpto initio , per ceteras vrbes , de omnibus iuxta clementiæ vestræ decretum , recipiendo coram legato vestro iusticias , pariter proficisceremur : sed illo semper fidente iudicium , & vestræ iussionis piissimam sanctionem

Concil. Tom. 24.

Vu ii

callide declinando , non veniente , quia nobis sine profectu aliquo per ipsas ciuitates , quæ illorum grauamine opprimuntur , proficisci euidenter extitit manifestum ; direximus cum eodem Adelardo venerabili episcopo misso vestro , Valpertum reuerendissimum episcopum , & fidellem consiliarium nostrum , qui vice nostra recepisset consolationem iustitia nobis in vestra præsentia reddita , & legitimam de aliis omnibus emendationem , qui videlicet profecti nullum iustitiæ fructum recipientes , ad nos reuersi sunt . Nos autem omnem excusationis eorum defensionem penitus auferre volentes , decreuimus eos iterum mittere , vt saltem postmodum recipemus iustitiam . Qui cum ad prædictum VVidonem rursum abiissent , nihil emendationis , nihilque redditionis ab eo , vel sequacibus eius , sicut promissum fuerat , recipere potuerunt . Sed vt antea sine aliquo ad nos effectu reuersis est , & vester ad vos absque iustitiæ contemplatione omnimodo rediit : quamuis ingenti & fideli deuotione ipse confrater noster Adelardus ad iustitiam exigendam multimodis decertas- set . Nunc igitur pro certo scientes , nullam nos de tantis malis posse habere iustitiam & emendationem per quemlibet celstitudinis vestræ legatum , nisi per vestram imperialem præsentiam ; rogamus obnixe , atque per omnipotenter Dominum adiuramus , vt ad defendendam & liberandam de manibus malefactorum , qui eam atrociter deuorant , ecclesiam beati Petri apostolorum principis vobis commissam , quæ vos diuino nutu adiutores ac defensores in omnibus elegit habere , ipsi , Deo auxiliante , venire libenter dignemini : quatenus Dei , & vestro solatio freta , quæ sua sunt valeat securiter retinere cum pristinæ dignitatis decoro , ad laudem , & perpetuam animæ vestræ mercedem .